

Joachim Schnobel

## **Programma De Jesu Christo Victore summo & perpetuo**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827997>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1649

1) Joach. Schnobel

2)

3) Marcus Tischering

4) Joach. Stockmann

(5) Sebastian Meier Silberner Prozeß)



PROGRAMMA  
De  
IESU CHRISTO  
Victore summo & per-  
petuo,  
propositum

IN FESTO PASCHATOS  
RECTORE  
JOACHIMO SCHNOBELIO,  
J. U. D. & Professore.



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XLIX.



RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOACHIMUS SCHNOBELIUS,

J. U. D. & Professor.



Hortium Victores quàm plurimos, eosq;  
maximè inclytos & insignes non so-  
lùm sacer codex, sed etiam historia  
gentilis tam fabulosa. quam ad verita-  
tem composita memorat. Celebris im-  
primis est, &

*Clarus giganteo triumpho*

Jupiter. Apud Romanos, ut cæteros taceam, Pom-  
pejus Magnus victor omnium, quas adierat, genti-  
um Romam reversus quot partes orbis sunt terra-  
rum, totidem fecit monumenta victoriæ suæ Sed &  
istum & alios prioris ævi omnes, Fabios puta, Scipi-  
ones, Metellos, Syllam item, Marium & Lucillum  
magnitudine & numero victoriarum Cæsar supera-  
vit. Non toto enim decennio, Plutarcho teste, in  
Galliâ belligeratus urbes octingentis plures cepit,  
populos trecentos subegit, cum ter millies millibus  
hostium congressus diversis præliis tertiam eorum  
partem interfecit, reliquas duas partes in potesta-  
tem redegit; ipsum etiam Pompejum pharsalico  
præ-

prælio fudit ac vicit, omnibusq; bellis confectis  
quingies, ut autor est Suetonius, triumphavit. Sa-  
cræ quoq; litteræ quot nobis velut in illustri posita  
victorum exempla intuenda proponunt? Abraha-  
mus quatuor Reges, qui Sodomam diripuerant;  
Moses & Josua Amorrhæos & cæteros Palæstinæ  
populos; Gideon Midianitas locustarum instar ter-  
ram Israëlitarum obsidentes profligarunt: David  
unò Goliatho fundæ lapide prostrato Philistæorum  
vires funditus attrivit; in cæteris quoq; bellis con-  
tra Syros, Ammonitas, Saulitas ubiq; victor evasit.

Sed quantum etiam sit, ac unquam in mundo fu-  
erit Victorum, Jesu certè nostro Nazareno è tumu-  
lo resurgenti ac gloriosissimè triumphanti nullate-  
mus sunt comparandi, sive victoris hujus poten-  
tiam & Majestatem, sive genus hostium, sive mo-  
dum & rationem vincendi, sive deniq; victoriæ  
tusum & fructum expendamus. VICTOR ipse  
Dei omnipotentis, ipse omnipotens filius est, Rex  
Regum & summo dominantium, quo, quantò cælo  
minor est terræ pulviscul<sup>o</sup>, & mari guttula situlæ ad-  
hærens, tantò inferiores ac infirmiores sunt omnes  
homunculi, quantos etiam in hac terræ pilâ ex opi-  
nionè alicujus potentiæ spiritus gerant. Dicantur  
fanè potentissimi & invictissimi, verba tamen hæc  
tantum sunt; res ipsa & veritas DEO soli est reser-  
vata, cujus etiam gratiæ, quicquid sunt ac valent,  
quicquid efficiunt, acceptum ferre debent. Ille est,

eujus manus nunquam defessæ, vires nunquam fractæ, virtus nunquam emarcuit.

Hostes, cum quibus configendum ipsi erat, non fuere vulgares aut humani saltem roboris, quamvis validissimi, sed tartarei & infernales omni humanarum virium magnitudine longè robustiores. Goliathus sex cubitis & una spithamâ procerus gigas, armisq; munitissimus; Antæus, Orestes, & si qui alii, quorum proceritas portentosa fuit & robur difficulter frangi potuit, dentur, umbræ sunt ad horum, qui à Christo debellandi erant, potestatem & vires collati. Quod in campo Marathonio Miltiades decem millibus Græcorum ducenta millia Persarum fuderit, reliquis in fugam versis: quod Leonidas Rex Spartanorum, cum trecentis suorum ad thermopylas profectus inter angustias montiû viginti millia hostium (qui in discrepantia autorum minimus proditur numerus) interfecerit: quod Sertorius cum parvissima militum manu adversus quatuor Romanos duces diu prosperè bellum gesserit, magnis effertur laudibus, & cum magna legitur admiratione. Sed cum vires humanæ nullæ tantæ sint, quæ non viribus humanis oppositis queant debilitari & everti, etiam ob locorum opportunitatem, majorem bellandi peritiam, strategemata & astus belli varios non raro contingat, ut paucos numerosum & ingentem exercitum superent, felicitas ista præliandi non tantam meretur laudem & admiranda

mirationem, CHRISTUS autem noster isq; solus domuit hostes spirituales, immanitate plus quam barbaros, multitudine innumerabiles, astutia & viribus instructissimos, totumq; orbem & mundum illi devotum in ejusq; & futuri regni exitium omnia destinantem evertit, mortem ipsam, cujus in omnes sævitia truculentissima effusa erat, velut nervis succisis aut spiculo adempto debilitavit, adeoque ea, quæ naturam & conditionem, ut humana virtute vinci possent, non habebant, vicit.

Modum vincendi si spectes, est ille prorsus insolitus, inauditus & minime humanus, imò & planè ineffabilis. Quam enim alii jaculando, percutiendo, sternendo, hanc ille cedendo, patiendo, moriendo victoriam est consecutus. Tantum enim abest, ut hastis, gladiis, pilis, tormentis rem egerit, ut etiam Petro gladium evaginati & specimen fortitudinis militaris ad defensionem ejus semel edenti succensuerit, illumq; recondi jusserit. Imò victo per omnia similis victor evasit. Captus enim ab hostibus, funibus ligatus, reus factus, atroci sententia condemnatus, blasphemis & diceris illusus, sputo foedatus, colaphis & flagellis cæsus, in crucem suffixus, clavis & lanceâ perfossus, tandem etiam cum lacrymis & clamore mortuus ac tumulo est inclusus. Quis non crederet, cum ipso tunc fuisse actum & conclamatum? Quis non cum Cleopha spem omnem liberandi Israël tunc decollasse putaret?

Sed veluti Codrus aut Decius aliquis ( si parva licet componere rei maximæ & incomparabili ) in confertissimam hostium aciem prouendo & occumbendo genti suæ victoriam, & ab hostibus liberationem pepererunt; veluti nobilis ille Romanus in pestilentem hiatum cum equo insiliendo civitatem Romanam ab ulteriori detrimento & interitu vindicavit; Ita Imperatorum optimus maximus in cruce pendens & capite inclinato spiritum emittens hostes ipse fudit, malum, sub quo in æternum gemere debuissimus, extinxit, ac, quod de cæteris dici nequit, & huic est præcipuum, post tridui sepulcrum diabolo victo, orco destructo, morte extincta resurgendo felicissimè triumphavit, & captivitatem nostram captivam duxit.

Uti verò modus ille vincendi nulla cogitatione humana capitur, & planè est incomprehensibilis; ita fructus inde existens a què omnem intellectus humani transcendit captū, ac vocis humanæ major est præconio. Quantò enim cælestia terrenis, æterna caducis, divina humanis sunt majora & præstantiora, tantò bona illa, quæ per Victoriam CHRISTI nobis parta sunt, spoliis & donis aliorum Imperatorum longè sunt præferenda. Inde enim plena peccatorum remissio, justitiæ primævæ, velut doni longè maximi, restitutio, Pax perpetua, securitas certissima, salus & vita cælestis nullo fine terminanda, Omnium cæterorum in mundo victorum

rum præmia saltem temporalia eaq; dubia, incerta  
& fragilia sunt; imò etiam victoriæ gaudium & glo-  
riam cladium tristitia & contumelia facilè conta-  
minare, & pacem fortè obtentam levis quædam  
caussa paullo post disturbare solet. Quæ verò vi-  
ctor noster cœlestis nobis attulit, æterna sunt, soli-  
da & immotæ firmitatis, ut montes loco abituri &  
universa terra sedibus suis recessura priùs sit, quàm  
fœdus pacis nobiscum initæ & sanguine ac morte  
ipsius firmatæ convelli aut ullatenus saltem infir-  
mari possit. Victor etiam ipse perpetuò talis cluit,  
nec possunt ullis unquam viribus sub jugum pri-  
stinæ servitutis redigi, quos semel ab eo liberos fe-  
cit & suâ velut manu tenet. Quin & redivivus ac cœ-  
lo receptus in medio inimicorum suorum poten-  
tissimè dominatur, & jugiter calcaneum suum  
pungentis Satanæ caput conterere & conculcare  
pergit. Sicut enim jam inde usq; ab infantiâ Eccle-  
siam sanguine suo fundatam contra illius immani-  
tatem & crudelissimos Tyrannos potentissimè est  
tutatus; ita pro ejusdem salute & conservatione  
inconnivis oculis excubare, hostium Ecclesiæ suæ  
consilia corrumpere, machinas & molitiones de-  
struere, scelestissimas conspirationes dissipare, &  
quam populo suo struunt perniciem, in capita eo-  
rum retorquere, adeoq; porrò victoriam victoriæ  
addere, & universæ inferiorum portæ agmina sua  
emittenti repagula obiicere & resistere non desinit.

Hujus

Hujusigitur tanti victoris & triumphatoris nostri hoc imprimis Paschali tempore, quo victoriæ illius & nostræ ex inferno liberationis memoria recolitur, devota piaq; mente

*Laudemus cantuq; feramus ad aethera dextram*

*Belli potentem, divitem victoria;*

*Dextram armis, dextram præstantem robore, dextram*

*Belli potentem divitem victoria.*

*O lux festa, o lux jucunda ad gaudia nata,*

*Cælestis in nos lux favoris conscia!*


*Usq; fave, custosq; tui CHRISTE optime cætus*

*Sis, Et secundos vota duc ad exitus.*

Hæc & similia procul à levibus profanisq; curis ac negotiis ut hisce Paschalibus feriis meditemini, Cives Academici, pro solenni more fideliter vos moneo. Faxit ipse, qui pro peccatis nostris mortuus, & propter justificationem nostram resurrexit, ut cum ipso peccatis omnibus moriamur, justitiæ vivamus, & quondam, ubi terminalis Angelorum tuba insonuerit, ad æternam vitam & gloriam immortalem ab ipso nobis paratam resurgamus.

P. P. Rostochii ipso die Paschatos

Anno M. DC. XLIX.







naus decantandis: vel Bonorum  
præclarorum Virorum rebus ge  
riclitantur: At longè rectius, qu  
ceditur, otium, in beneficiis Sof  
C Hristi prædicandis, iisq; quã  
tione celebrandis consumunt,  
ejus Nativitate; vel crudelissima  
vel de salutari resurrectione: ve  
dem ascensione, versus, non e  
stans ducentos in hora dictabat  
ponunt, & hac ratione animum  
flictum, & perculsum excitant,  
gunt, & solantur: nec non studi  
quo ad immensum sapientiæ m  
strant. Hic labos, si labos, & ne  
cendus est, ut omni difficultate  
ita quoq; voluptate, & utilitate  
rioribus mensibus probè secu  
*tisimus, Præstantissimusq; Vir*  
*BECHOVIUS, S.S. Theologiae Stu*  
*becensis Collega industrius.* Hi  
cumfluat, & abundet, sed sempe  
que, quod agat, habeat: ferias ta  
cationes à laboribus scholastic  
bus, quæ veræ recreationes sun  
obambulationibus, commesat  
vis convivii, idq; genti aliis, c

endo: vel  
pendis pe  
quod con  
ostri JESU  
igatã ora  
dmiranda  
& morte:  
riosa ejus  
uno pede  
atos com  
mnisq; af  
alios eri  
uti amnẽ,  
iat, mon  
requies di  
tia vacat:  
Hoc su  
dit *Erudi*  
US TRIB  
*Schola Lu*  
non cir  
privatim  
nes, & va  
editationi  
re; quàm  
ntempesti  
s, tùm ani  
mam

